



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Tvronensi Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

ricis super hoc silentium perpetuum imponentes. Nulli ergo &c. liceat hanc paginam nostræ diffinitionis infringere &c. Datum Laterani VII. Februarij.

T V R O N E N S I
Archiepiscopo.

Quod sedem &c. *Extat supra numero LXXVII. inter epistolas istius libri. Itaque repetere eam nolimus.*

EPISCOPO CIVITATIS
Cassellan.

Accedentes nuper ad præsentiam nostram &c. *Extat supra numero LXXVIII. inter epistolas hujus libri.*

RAYNERIO ABBATI
& Conventui sancti Petri Eugubin.

Cum olim essemus apud Perusium constituti &c. *Extat supra numero LXXIX. inter epistolas hujus libri. Ea de causa heic eam omisimus.*

ABBATI DE FIRMITATE
G. & F. Archidiaconis Cabilonen.

Expositam nobis Eduensis Ecclesiæ accepimus quæstionem &c. *Extat supra numero LXXX. inter epistolas hujus libri.*

EPISCOPO ET DECANO
Patherburnensi, & Abbati de
Helmuardeshusan.

Cum Conradus quondam Hildesemensis Episcopus, pro eo quod sine licentia nostra ad Ecclesiam Herbipolensem transiit, fuerit suspensus à nobis, & postmodum, quoniam à sua noluit præsumptione desistere, vinculo sit excommunicationis astrictus, & de mandato nostro in Hildesemensi Ecclesia electio canonicè celebrata, nobiles quidam, scilicet Adolphus Comes, Hermannus & Henricus Comites de Hartesborc, Fredericus de Insula, & ipsius Ecclesiæ ministeriales, videlicet Lupoldus de Escherthe, Vgo advocatus, & eorum complices, Hildesemensis diocesis, electioni factæ & auctoritate sedis apostolicæ confirmatæ de dilecto filio H. Hildesemensi Præposito majori contradicere non verentur, & ipsi quondam Episcopo, sicut non convenit, adhærentes, ipsum electum & Hildesemensem Ecclesiam aggravant multipliciter & infestant; sicut ipsius electi & Capituli Hildesemensis transmif-

sa nobis conquestio patefecit. Prænominati etiam nobiles & ministeriales ipsius Ecclesiæ bona Hildesemensis Ecclesiæ, præbendas Canonorum, & speciales redditus ipsorum, & episcopales proventus præsentis anni, occasione & auctoritate præfati Conradi quondam Episcopi recipiunt & detinent violenter. Præterea prædicti nobiles & ipsius Ecclesiæ ministeriales eidem quondam Episcopo Hildesemensi faventes, ipsum electum non permittunt civitatem & castra & alia bona ad Hildesemensem Ecclesiam pertinentia pacificè possidere, immo independentes præfato quondam Episcopo contra Ecclesiam & electum & Clerum Hildesemensem auxilium & favorem, ipsum à possessione castrorum & civitatis & aliorum bonorum prohibent, & ei modis omnibus contradicunt. Nolentes igitur talia sub dissimulatione transire, quæ noscuntur contra mandata sedis apostolicæ attentari, discretionem vestræ per apostolica scripta mandamus & districtè in obedientiæ virtute præcipimus quatenus si verum est quod proponitur, præsumptores prædictos, nisi ad commonitionem vestram ablata Hildesemensi Ecclesiæ & electo restituerint universa, & ab ipsius Ecclesiæ, electi, & Cleri indebita molestatione destiterint, tamdiu nuntietis vinculo excommunicationis, sublato appellationis obstaculo, innodatos, & terram eorum suppositam interdicto, & ad quemcunque locum venerint, eis præsentibus divina prohibeatis officia celebrari, donec tam electo quam Clero super præmissis idoneam satisfactionem impendat. Volumus etiam nihilominus & mandamus ut nisi Clerici & laici in Hildesemensi diocesi constituti præfato electo debitam reverentiam impendere curaverint & honorem, eos ad id, omni gratia & timore postpositis, districtione ecclesiastica, appellatione remota, cogatis. Volentes insuper ejusdem Ecclesiæ indemnitate & electi paternæ sollicitudine præcavere, præsentium vobis auctoritate præcipimus quatenus quicquid de bonis ipsius Ecclesiæ præfatus quondam Episcopus, postquam Herbipolensi episcopatu se non timuit immiscere, alienavit quomodolibet vel distraxit, auctoritate nostra, appellatione remota, denuntiantes irritum & inane, & quæ per eum antè, etiam cum Episcopus esset, Ecclesiæ memoratæ irrationabili.

Xxx ij

Epist. 184.
Quod Archiepiscopus, propter infirmitatem, suffraganeorum consecratione committere possit.

Epist. 185.
Vi civis ab excommunicatione & interdicti sententia relaxentur.

Epist. 186.
Vetera ipsorum privilegia confirmat.

Epist. 187.
Ipsi causam Eduensis Ecclesiæ & Balmensis monasterij committit.

Epist. 188.
Venerabili Hildesemensi Episcopo auxilio fit. Vide supra lib. 1. epist. 333.